

HISTORIÆ GERMANICÆ. 109

quod nollet tamen morem gerere
Pontifici, hæreditariam Siciliæ Apu-
liæque possessionem ipsi invidenti,
ut & quod in personas ecclesiasticas
animadverterat. ægre ferenti, ex-
communicationis vinculo constringi-
tur, omnesque Imperii regnique
subditi sacramento absolvuntur. Is
tamen auctoritatem suam masculine
defendit, *purgaturum etiam B. Petri*
ecclesiam edicens, ut nemo illic sit, nisi qui
sequatur vestigia Apostolorum. Ac Ma-
thildica quoque Pontifici reddita,
verso consilio sibi & Imperio vindicavit.

§. CLVI. Gregorius IX. Honorii
successor Friderico vel ob id infen-
sus, quod non pedes suos, sed genu &
levissime quidem osculatus, Cæsa-
rem ad expeditionem Syriacam re-
legare tentat. At quod is morbo &
motibus Apuliæ ac Langobardiaæ a
coëptis revocaretur, tam ægre mo-
ram tulit Pontifex, ut excommuni-
cationem antecessoris repeteret.

E 7

§. CLVII.